

Heinrich Rahn


Disputatio Inauguralis, Exponens materiam Finium Regundorum

Rostochii: Kilius, 1651

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766617076>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



43a
Quod DEUS bene vertat,
DISPUTATIO INAUGURALIS,
Exponens materiam

FINIUM REGUNDORUM,

Quam

Divinâ adspirante gratiâ,

EX DECRETO

Nobilissimi, & amplissimi Jctorum Ordinis,
in illustri ad Varnum Academia,

SUB PRÆSIDIO

Viri Consultissimi, Clarissimi & Excellentissimi,

DN. HENRICI RAGNERI/

J. U. D. & Professoris Publici, Præceptoris,
& Promotoris, nunquam non colendi.

*Pro summis in utroq; jure privilegiis & Honoribus
Doctoralibus consequendis*

Publicæ disquisitioni subjecit

LUCAS CUNRADUS Schaffshausen/ Witteb.

In Auditorio Majori die 26. Januar.

Horis consuetis, matutinis, & pomeridianis.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr. Anno 1651.

VIRIS

Genere, amplitudine, virtute, rerumq; usu, Eruditione nobilissimis,

**DNO. BARTOLDO Wölleru/
J. V. L. & Patriæ Republicæ Proconsuli
Spectatissimo, hæreditario in Wiedendorff/
vnd Saresdorff/zc.**

NEC NON

**DNO. NICOLAO Schaffshausen/
J. V. D. Illustrissimo Principi ac Domino,
Dno HENRICO JULIO Saxonix, An-
griæ, & Westphaliæ Duci &c. à Con-
siliis intimis &c.**

*Dnn. Cognato, & Patrono, Parentiq; omni obser-
vantia ac obedientia cultu prosequendis*

Disputationem hanc Inauguralem

dat, dicas, consecras,



Autor.



Uanto cum Patria nostra Communis,
 Germaniæ, imò totius Europæ, dispendio
 furor hostilis cladibus immanissimis fines terra-
 rum hæctenus concusserit, affatim illis constat,
 qui vel recentes temporum nostrorum annales
 legerunt, vel miseram omnium rerum faciem oculis suis conspe-
 xere, Aded namq; Regnum nullum, Principatus nullus, urbium
 fermè nulla imò nullus ubiq; Gentium ager, sive locus existit, in
 quibus ferreus armorum clangor, ræucus tympanorum sonus, hor-
 ridum bombardarum tonitru, audientium animis metum & ter-
 rorem non incusserit, nec non peruersus militum ausus, & pro-
 tervia, cuiuscunq; status, ac ordinis falera, & fundos non com-
 moverit, aut inverterit. Unde factum ut officinis optimarum
 artium occlusis, vox legum inter tantos armorum strepitus ex-
 audiri non potuerit. At vero cum discussis bellorum nubibus nu-
 per DEI ter optimi Max, beneficio exorti Pacis quasi post livinio
 reductæ radij, peccora tam longis hebetata malis refocillare &
 pristinum literis splendorem reddere incipiant, non absq; re in pu-
 blico hoc specimine thema tale calamo rudiori delineandum indu-
 stria mea qualicunq; proposui, quod rarius, minusq; elaboratum,
 ac frequentius hodie in foro, & Magnatum aulis disceptatur.
 Quotus enim quisq; est! Si parum ultra vulgus sapiat, qui igno-
 ret, jam olim belli finem perplexus admodum de finibus turbine ho-
 stili Confusus, & quasi de sede suâ divulsus, lites perperisse, & non
 ita dudum indomitam effrenemq; vivendi licentiam, tales tan-
 tasq; præsertim purpuratis, & in eminentiori loco constitutis,
 reliquisse controversias, quibus accuratissimi Sapientum labores
 post seram ætatem vix finem invenire poterunt. Multa de hujus
 materia præstantiâ, utilitate, ac difficultate, in medium offerre.

A 2

cum

cum vino vendibili non opus sit suspensâ hedera, nec instituti præsentis ratio, nec amplissima Facultatis Juridica statutum permittent. Quapropter absq; præloquii longioris intervallo, ad rem ipsam, sive territorium ilico accedam, ejusdem non latera, non intima puncta aut singulas partes dimensione geometrica, sed fines duntaxat sive angulos, & lapides ultimos, juridica contemplatione exploraturus.

THESIS I.

Verum enim vero, cum verborum prior, rerum potior sit habenda ratio, proinde vocum, quarum duæ hic significatione propriâ distinctæ occurrunt, & separatâ, & unitâ consideratione paucissimis prælibabo.

II.

Quod primam attinet, derivatur Finis à finiendo, & est vocabulum *πλῆσμον*, præter enim quod nonnunquam definitionem seu descriptionem denotet, argumento l. 222. de V. S. nec non quod proculus Jctus finium appellatione id intelligat, quod Logicus terminum vocat, arg. l. 124. de V. S. multis modis dicitur quippiam esse rei alicujus finis, alius enim est finis consummationis, alius consumptionis, alius intentionis, Græcis *σχετις*, alius deniq; terminationis, unde etiam in hoc significatu denotat extremitatem terræ cujuslibet, quæ aliàs vocatur terminus, confinium, limes, meta, juxta tritum illud

Dum tua rara metis, vicinis parcito metis.

Græce *πέλας*, vulgò eine Gränze/ Gränzmärkung/ daß man wisse/wie weit sich ein jedes Gut erstrecke / vnd niemand hierein verrortheilet werde. Imo etiam regio, cum primis in plurali l. 1. §. 13. ff. de off. Præf. urb. ad stipulante Tullio, qui vitæ nostræ spatium exiguis regionibus circumscriptum esse profiteretur. in Orat. pro Archia. Quocirca regionibus agros dividere, perinde est, ac certis finibus, ac limitibus perpetuis distinguere, ut suam quisq; partem semper habeat.

III.

Usurpatur itidem vox monumentum pro termino, sive limite alicujus districtus, quod permaneat, & doceat, quousq; protendantur fines, seu notum est, ex l. 2. C. b. t. Generaliter enim monumentum dicitur opus,

opus, quod memoriae causâ posteritati relictum est, à Monendo, quod nos mentemq; nostram alicujus rei præteritæ moneat. Hinc Horatius *lib. 3. odar.*

Exegi monumentum ære perennius.

& Cicero, qui alibi dicit, amplissimis monumentis consecrare nominis sui memoriam *lib. 2. ad Q. Frat.*

IV.

Neq; illud hoc in loco omittendum, quod vox Finis in significatione nostra juridica nusquam fermè in singulari usurpata reperitur, quemadmodum ex Pandectarum, & Codicis Justiniani, aliorumq; Authorum libris patescit; Sic enim Livius *lib. 42.* Priusquam Magistratus proficiscerentur, Senatui placuit, L. posthumium Cons. ad agrum publicum à privato terminandum in Campaniam ire, cujus ingentem modum possidere privatos, paulatim prosequendo fines, constabat, pariter & Seneca *lib. 7. de benef.* Fines Atheniensium, aut Campanorum, vocamus, quos deinde inter se vicini privatâ terminatione distinguunt.

V.

Observasse me tamen aliquando memini in lectione historicâ ejusdem Livij exemplum singularis numeri *lib. 40.* ubi agitur de rebus in Liguria gestis. Ligurum inquit ibidem duo millia ferè ad extremum finem provinciæ Galliæ, ubi castra Marcell. habebat, venerunt, ut reciperentur orantes. Simile itidem exemplum ex Taciti *annal. 16 cap. 18.* non ignotum est: Ostorius, inquit, longinquis in agris apud finem ligurum id temporis erat.

VI.

Alterius vocis origo æquè facilis est, utpote quæ à verbo regere, quod idem est ac gubernare, administrare, derivatur, antequam enim terræ & loca in formam Provinciarum redigerentur, erant regiones sub regimine, sive Regum administratione. Hinc Romani urbem suam in quatuor regiones distinguebant, videlicet Suburbanam, Exquilinam, Collinam, & Palatinam.

VII.

Explicatis separatim vocibus, conjunctim jam consideranda veniunt. Est vero regere fines, nihil aliud, quam verè & sincerè de duorum aut plurium vicinorum limitibus, in dubium ab his vocatis, judicare, eosdemq; determinare, iurgiorum, litium, homicidiorum, ac bellorum

evitandorum, & tollendorum causa. Plurimum namq; interest, ne agrorum termini, quos simul divinæ ac humanæ leges transferre, aut divellere prohibent, *Deut. 19. vers. 14. & 27. vers. 17.* ubi maledictus dicitur, qui transfert terminos proximi sui, *Can. in legibus 10. caus. 12. quest. 286. tit. de termino mote, Landrecht lib. 7. art. 28.* in alterius vel contumeliam vel detrimentum moveantur. Quare cum Platone in *dial. 8. de legibus.* Numa Pompilius, qui optimis institutis civitatem Romanam ornasse laudatur, ut unusquisq; sorte sua contentus esset, nec res alienas appeteret, cavit lege de terminandis prædiis latâ, ut unusquisq; agrum suum circumscriberet, & lapides in finibus poneret, quos facto sacrificio sacros esse voluit, additâ severissimâ pænâ, ut is, qui terminos suo loco dimovisset, tanquam sacrilegus impunè a quovis interfici posset, referente *Halicarnass. lib. 7. Antiq. Rom. cap. 76.* spectat huc versiculus Poëta Mantuani

Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.

VIII.

Persectâ rerum notatione, & derivatione, ad generalem & realem recto ordine descendimus definitionem. Possunt autem non Logicatorum, sed J.C. more, definiri, seu potius describi, quod sint termini, qui fundos singulos, sive terras diverserum Dominorum separant, ac determinant, ex *l. penult. ff. b. s.* At verò, cum Finis & terminus eandem habeant significationem, dicendum potius, quid sint signa, cujusq; finis demonstrativa, seu loca, ubi & per quæ agri finiuntur, juxta Hieronymum de Monte *in tract. Fin. Reg. cap. 15. n. 2. & Corneum in cons. 185. n. 22.*

IX.

Definitioni proximè subjungitur divisio, liquet autem facile ex superioribus, quod fines alii sint publici, alii privati. Illi Regna, Principatus, Comitatus, Provincias, districtus, Civitates, Curias, & quælibet territoria, hi verò privatorum saltem agros, & particularia quævis loca respiciunt.

X.

Priusquam autem eorum generale instituat examina, non inutile arbitror de singulis aliquid speciatim perspicuoris doctrinæ causa præmittere, ita quidem, ut cum publica semper potiora, nec non privatis sint præferenda, publicorum finium inspectio priorem in ordine locum obtineat.

XI.

Sciendum est itaq;, quemadmodum jurisdictio Gentium jure inventa,

42
venta, à jure civili terminos distinctos Consequuta est, *l. 2. ff. de origine juru.* Sic quoq; ex illà, tanquam Matre, parta Regna, & quævis dominia moribus, legibus, & Principum Constitutionibus separata, determinatisq; confinits circumscripta fuisse, ut scilicet certa essent dominia, *l. 1. ff. de usucap.* & evitarentur perpetuæ de possessionibus lites, quas prohiberi & sopiri publicè interest *l. 21. ff. si cert. petat.* cum etenim homines abundantiam suam, non naturæ necessitate, sed ambitus superfluitate merientes, aliena immoderatus appetant, illa habendi cupiditas Legum quasi frænis coërcenda fuit.

XII.

Subdividuntur autem publici fines, in Seculares, & Ecclesiasticos. Hi pertinent ad Episcopatus, Diœceses &c. ideoq; eos Princeps secularis absq; præscitu & consensu Ecclesiæ mutare, & coarctare non valet. Quid autem nuperrimè factum, non est nostrum disquirere, quippe publicæ utilitatis causâ à legibus interdum est recedendum, nec non necessitati indulgendum. Hi tamen fines præscriptione 40. annorum contra Ecclesiam acquiruntur, etiam à Privatis possessi, quod tamen *cum Mont. cap. 75.* intelligendum puto, de finibus rerum tantummodo temporalium, ad Ecclesiam pertinentium, non autem de iis quæ proprie ad spiritualia pertinent.

XIII.

Sunt quoq; hi, vel proprii, & veri, sive improprii & apparentes, qui à quatuor mundi plagis denominantur, ut verbi gratiâ ab oriente possidere dicatur Hannibal, ab occidente Cyrus, à meridie Alexander, à septentrione Croesus, vel à quatuor cardinalibus ut habetur *Job. cap. 17. vers. 7. sequent.*

XIV.

Nobiliores sive proprii termini, qui regna, provincias, episcopatus & diœceses dividunt, ac terminant, sunt plerumq; viæ regales, flumina, montes, valles, castra, villa, itidem fossæ, & aggeres, Landgraben/ Landwehren/ &c. Stipites arborum, trunci, signis notati, vel lapides etiam insigniores, immobiles, & affixi, vulgò Landgränze/ Scheffelmark oder Bansteine/ Ban etenim extremitatem denotat, quapropter banniti dicuntur, quos finibus nostris exclusimus. His similes sunt lapides, quibus discernuntur termini venationis, & juris lignandi vulgò Jagtgränzen/ Jagt vnd Forststeine.

XV.

Et hi non solum competunt territorio, quod est universitas agrorum

rum

rum intra fines cujusq; civitatis l. 239. § 3. de V. signif. sive, ut clarius exprimam, terræ; sed & aquis, sive publicis & majoribus fluminibus. De mari tamen valde dubitatur, negat enim huic dari fines *Cornelius consil. 273. num. 22.* ex hac ratione, quod nullis terminis & limitibus secundum naturam secerni queat, cum nunquam stet, sed semper eat, redeatq; , ac omnibus commune sit. Eorum tamen mihi magis arridet opinio, qui statuunt, & jam mari limites competere, adeo ut habentes jurisdictionem in mari ipso & insulis existentibus infra centum milliaria, l. *Cæsar 15. ff. de publ. & vectig. Bodinus de Republ. lib. 1. cap. 10.* nimirum ut delinquentes in mari æquè capere & punire possint, quam in terrâ, quia sicut Præses provincie debet purgare provinciam à malis hominibus per terram l. 13. ff. de off. Præs. ita quoq; per mare, ex rescripto Imperatorum *Valentini & Valentii l. unic. C. de classicis. Bartol. Capell. in tractatu de servitut. rustic. prædior. cap. 26. de mari, n. 12. & sequent. Benv. Strachia in tract. de navigiis. in princip. n. 6.* siquidem experientia hodierna, & frequentia usus, nobis maximopere opitulabitur, exemplo Hispanorum, Gallorum, Lusitanorum, Venetorum, & Genuensium, qui jurisdictionem in vicino mari ad se transtulerunt, ita ut gabellas à vehentibus mercatores per mare adiacens suæ terræ exigant.

XVI.

Constituuntur autem publicis fines pactis Dominorum, qui merum mixtumq; habent imperium, quamvis superiorem recognoscant, ita namq; status Imperii etsi Imperatorem superiorem agnoscere cogantur, rectè tamen suorum territoriorum limites statuere possunt, etiam per Consiliarios, ac Commissarios suos ad hunc actum singulatim instructos, nisi forte immemoriabilis præscriptio terminos antiquos fecerit, quæ absq; ulla scientiâ Principis, vel officialium procedit, in præscriptione enim tanti temporis, cujus initii memoria non extat, haut requiritur scientia nec patientiâ siquidem hæc præscriptio fomentum habet à lege, & vim constituti, seu privilegii *cap. supr. 26. ext. de verb. signif. l. 3. §. 4. ff. de aquâ quotidiana & astivâ. Mont. in tract. fin. regund. cap. 77. n. 7.*

XVII.

Consideratis publicis proximè ad privatos accedimus terminos, qui à privatis constituuntur Dominis l. 1. C. 2. hoc rit. non vero ab aliis quibuscunq; possessoribus l. 4. ff. b. s. Mont. cap. 21. n. 2. constituuntur etiam aliquando à Judice l. 3. C. b. t. §. quedam C. 5. fin. ult. *Instit. de offic. Judi-*

43

Judicū. l. 8. & passim ff. b. t. item à vetustate & præscriptione triginta annorum l. fin. C. b. t. sicuti quoq; à Communitatibus, quia pro privatis habentur. l. 16. & 17. ff. de V. Signif.

XVIII.

Constituuntur autem in prædiis rusticis l. 4. §. pen. ff. b. t. & quæcunq; hoc nomine & jure veniunt, ut rivus privatus, l. 6. ff. b. t. ager l. 8. ff. eodem, nam urbana magis vicina, quam confinia vocantur, dicta leg. 4. §. penult. quanquam & in urbanis hortorum latitudo finiri potest, uti colligere licet ex eodem §.

XIX.

Et discernuntur plerunq; variis rebus, & signis, ut Saxo quodam aut acervo parvorum lapidum supra terram jacentium, qui vulgò vocantur judices ostendentes locum quem confiniunt, & quod est consuetudinis, solet desuper fieri instrumentum, imprimis quando per judicem, sive per arbitrum, qui electus est, ut ejus arbitratu res determinetur, l. 44. ff. de recept. qui arbit. recep. ponuntur. l. 2. & 4. ff. b. t. interdum arboribus, quæ si in medio notantur, communes sunt, nonnunquam fonte, stagno, aut rivo l. 6. ff. b. t. jugis montium, aut collium, distinguuntur, etiam monumentis l. 2. C. b. t. fossis quoq; aut deniq; ædificio & tuguriolo l. 2. ff. b. t. vel sacellis, de quibus omnibus potest consuli Mont qui pluribus illa persequitur in cap. 17. n. 8. & 9. & sequent. Ex his apparet finium signa esse vel naturalia, vel artificialia Myns. 6. obs. 25. n. 3. & 4.

XX.

Publicis & privatis terminis addunt quidam communes, seu mixtos, qui tam ad privatos, quam publicos referri possunt, ut sunt lapides angulares, vulgò Ortsteine/ qui à principio limitum, & in fine eorundem ponuntur. His annumerantur lapides, qui à duobus lateribus tantum habent signa eines Landsteins: item illi, qui non solum duorum sed & plurium fines determinant, Rutg. Rul. de commissar. lib. 6. cap. 3. n. 27. & 24. Gilbaus. in arb. Jud. civil. part. 2. cap. 6. art. 2. §. 14. num. 10.

XXI.

Sed iis relictis, ad publicorum privatorumq; generales proprietates nos convertimus, sunt autem fines inviolabiles, & ideo vocari possunt sancti, quod sanctionibus publicis ab injuriâ defendantur, l. 2. & tot. tit. ff. de term. mot. l. 4. & ult. C. b. t. ex quâ ratione rectè defendimus Principem juste bellum movere alteri posse, qui jura finium fregit, vel transgressus est, quod tamen restrictum velim, ad Dominum sive Monarcham,

B

aut

aut alium liberum statum, neminem nisi Deum superiorem recogno-
scentem, non item ad Vasallum, etiam nobiliorem. Quapropter Statu-
bus quibuscunq; Imperii, etiam Electoribus, hoc jus competere verius
negamus, cum Imperatori tanquam Capiti suo cultum & obsequia de-
beant, cujus est, non pati ad rixas procedere, quas sua jurisdictione po-
test compescere, dirimere controversias, & pacem subjectis imperare,
*arg. l. 13. §. 4. ff. de usuf. l. 13. ff. de offic. Praef. l. 1. §. 10. ff. de nov. oper. nunt.
l. 21. ff. de reb. credit.* Quod si vero penes Principem potestas belli ge-
rendi ex assensu aliorum, & hoc in jure eorum suffragium adhibebit. Ex
quo fluit & hoc, quod Imperator noster ob violata finium jura bellum
inconsultis proceribus & ordinibus Imperii suscipere non possit, dum
ex capitulatione caesarea jurejurando promittit, quod pro rebus Imperii,
nec intra nec extra fines Imperii bellum suscipere velit *Sleidan. lib. 1. de
stat. Rel. pag. 29. Paurmeist. lib. 2. de jurid. cap. 2. n. 19. pag. 439. Capitul. Fer-
dinandi 3. §. 11.*

XXII.

Suntq; fines reales, non personales, quia fundis non Dominis eo-
rum ceduntur, quamvis actio finium regundorum sit in personam *l. 1. ff.
b. t. & sunt accessorii fundorum, quibus cohaerent l. 4. §. 1. ff. b. t. & licet
quidam sint angusti, quidam laxiores, latiusq; Patentes ac magis nota-
biles, omnes tamen debent esse apparentes, secundum regulam in *leg. 77.
ff. de cont. empr. & vend. contigui fundorum, & ut loquuntur immediati.**

XVIII.

Interim non sunt omnino immobiles atq; perpetui; Mutantur enim
nonnunquam vel arbitrio & consensu omnium eorum, quorum inter-
est, *l. 11. & seq. ff. b. t.* vel interitu ipsius termini, exiccato siquidem rivo
qui pro fine fundi serviebat, divisus finis prolongatur, quod etiam de
terra per alluvionem accreta intelligendum puto, vel mutantur etiam
praescriptione, quae fit spatio 30. annorum non vero spatio minore *l. ult.
C. b. t.* quod ad privatos tantum fines restringendum est, *Mont. de finib.
reg. cap. 76. n. 3. & 7.* nam publici non praescribuntur nisi tempore im-
memoriabili, quia hi, ut loquuntur, sunt de reservatis Principum & signa
Dominii. Huc etiam pertinent fines limitanei per *l. 3. C. de fundis limi-
troph. junge & vide de hñ Alciar. ad l. 1. n. 25. C. b. t.*

XXIV.

Distinguuntur porro fines in veteres vel antiquos, & novos ex con-
sensu partium nuper constitutos *l. 11. ff. & l. 2. C. b. t.* Notandum autem
hic est, quod fines antiqui regulariter sint inspicendi, & non mutati, sed
ibidem

ibidem esse præsumantur, ubi olim fuerunt, uti hanc præsumptionem in specie annotarunt *post Luc. de pennis in l. 3. C. de apoch. publ. lib. 10. Alciatus de præsumptionibus reg. 2. pras. 3. & Menoch. lib. 6. præsumpt. 43.* Unde si venditor in venditione, vel concedens in concessione, non certiorum fecerit emptorem, aut illum, in quem concessio facta fuit, de finibus mutatis, intelligitur utiq; venditio, vel concessio facta, secundum terminos antiquos, qui juxta verus agitatum diverbium non facile movendi *Mont. cap. 21.*

XXV.

Discernuntur vero fines à rebus ipsis, quas distinguunt, sunt enim usu utrisq; accolis communes *l. 19. in princ. ff. Comm. divid.* ita ut neutri liceat in confinio facere, quod alterius usum impediatur, *l. 4. §. 3. cum seq. ff. b. t.* hinc fructus in confinio pendentes utrisq; Dominis sunt communes, & arbor, quæ erat pro limite, vento percussa dividi debet. Quod si vero insula nascatur in flumine agros dividente ad utriusq; Domini proprietatem illa ne pertinet? respondetur, quod insula hæc prius oculis subjici debeat, ceu loquitur *Jctus in sapiens allegatâ l. 8 ff. b. t.* nam quod oculus videt, nemo fideliter negat, & quod patet expresse, non est probare necesse ut inquit *Bald. Conf. 3. vers. 1.* si namq; ultra medium magis alterius terræ accesserit, procul dubio ad illius terræ Dominum spectabit. *§. 22. Instit. de rer. divis* alio tamen jure utimur, quando insula in publico flumine duo discernente territoria per alluvionem accreverit, isto enim casu ejus esse censetur, cui in ipso flumine competit jurisdictio, cum ex usibus feudorum constet, flumina publica, tam quo ad proprietatem, quam jurisdictionem, regalibus aggregari *Sixt. de Regal. lib. 2. c. 3.*

n. 35.

XXVI.

Effectus & fines finium sunt multivarii. Quoniam solent statui, ut territorii & agrorum limites determinent, ac designent, ex eo termini dicti, ut terræ mensuram declarent, nec non controversias dirimant, ac tollant. Quemadmodum enim per sculpturam, scripturam, picturamq; hominum memoria retinetur, *l. 37. ff. de condit. & demonstr. l. 4. & 6. ff. de religiof.* similiter per terminos memoriam determinationis agrorum perpetuo conservari usus edocet.

XXVII.

Consideratis hæcenus finibus ipsis, ad eorum demum descendimus actionem examinandam, quæ communiter hoc nomine insignitur, actio finium regundorum (rectius & magis latine diceret regendorum) ut passim constat ex binis finium regundorum titulis, vocatur quando-

B 2

quidem

quidem etiam iudicium finium regundorum l. 4. §. 1. ff. b. t. item à materia finalis quaestio l. 11. ff. b. t. actio limitis C. inter memoratos 16. quaest. 3. & deniq; querelam sive querela de finibus l. 3. C. b. t.

XXVIII.

Est autem actio finium regundorum actio civilis, quae inter eos movetur, qui confines agros habeant, ut illis termini ponantur, sive ut fines ad suam normam & certitudinem dirigantur, & quod intra justos fines quisq; habet, id totum retineat, si quid amplius id vicino restituat ex l. 4. §. ff. b. t. C. l. 1. G. ead. videbimur tamen potius actionem hanc descripsisse, quam logicè definiisse, cum & alias definitiones in iure nostro admodum sint periculosae, definit alias eam Vultejus, & quidem satis succinctè, quod scilicet sit actio personalis inter confines praediorum rusticorum data, in hoc, ut eorū mutuā fundorū divisione sive adjudicatione distinguantur. De urbanis enim si forte supra vicinitate oriatur contentio, agitur potius interdictis vel actionibus confessorii, sive negatorii. Hinc optime Cicero in topicis ait, fines agrorum magis sunt, quam urbis: sumatur praeterea ratio ex l. 4. §. 1. ff. b. t. quod adeò verum est, ut licet in agris aedificia juncta sint, locus huic actioni non sit, quod tamen extra aedificia urbana in agris posita non extendendum arbitror. Utilis tamen etiam haec actio in urbe est, quando, ut supra admonuimus, de hortorum Latitudine controversitur *dist. l. 4. §. 10. b. t.*

XIX.

Est nihilominus haec actio aliquando realis, quia potius inter fundos quam personas datur, l. 4. C. 9. ff. b. t. & sententia magis praedio fertur, quam personae, cum fines potius fundis, quibus adherent, quam personis adjudicari soleant. Hinc quoq; mixta appellatur §. *quaedam vers. fin. Instit. de actionibus*, induit enim interdum naturam realis actionis, persequendo rem fines scilicet agrorum, interdum vero naturam personalis, quia scilicet datur ad praestationes personales. sicuti ad sumptus ad impendia facta in agrimensorem, & ad fructus; l. 1. ff. b. t. C. *ibidem glossa*, sunt praeterea qui finalem hanc actionem faciunt etiam penalem, etiam rei persecutoriam, etiam ex omnibus mixtam, hanc tamen aliquando magis ad personalem, interdum potius ad realem, pro ut ratione delicti vel domini intendatur accedere *cum Mont. de fin. reg. cap. 38* non ibimus inficias. Actione enim finium regundorum multipliciter agi posse monstrat *Jacob. de Res. eq. in allegat. in mater. con fin. num. 1.*

XXX. Ve:

XXX.

Verum rectius facere arbitramur, qui pro finibus quatuor distincta competere remedia statuunt. Quorum præcipuum est, actio finium regundorum, de quo jamjam diximus; secundum conditio ex *l. Constantini Imperat. quæ est quarta C. b. t.* ex quâ ille, qui finalem detulit causam ad judicem, & priusquam ista determinetur occupaverit aliquid de alieno, tenetur id restituere, & tantundem de suo *l. 4 C. b. t.* Tertium est actio legis Agrariæ pænalis 50 aureorum in eum, qui terminum deiecerit, locoq; moverit, quam legem *Caj. Jul. Cæsar tulit l. ult. ff. determ. met.* de quâ infra *thes. 34.* Quartum est accusatio criminalis ex Constitut. Hadriani Imper. quâ pro conditione personæ & mente facientis coercitio permittitur *l. 1. § 2. ff. determ. mot. Jas. ad S. quadam 20. Inst. de act. num. 73. Harprectus ibidem num. 13.* Quibus quinto loco superaddi potest extraordinaria vindicatio eorum, qui terminos effoderunt *l. 1. C. de accus.*

XXXI.

Utrum autem hæc actio sit nativa; hoc est quæ ex obligatione præsupposita nascatur, an vero dativa, quæ citra obligationem detur, variè, à Doctoribus disputatur, nos mediam, quam passim Juri sequuntur, tenebamus viam, juxta illud Comici

*Quisquis medium defugis iter,
Stabili nunquam eramite curret.*

Statuentes utramq; commodè hic locum invenire posse cum *Mont. de finib. reg. cap. 38. n. 17.* Datur namq; interdum actio finium regundorum, quæ ex nullâ obligatione sive contractu descendit, Fingas enim, Titium loco hæreditatis reliquisse fundum inter Cajum & Sempronium, dividendum, quapropter Cajus contra Sempronium, aut iste contra illum, optimo jure ad ponendos limites agere potest, quamvis nullus inter eos existat contractus. Plures hujus actionis divisiones amicus lector inveniet apud *Mont. hic cap. 38. & Wesenb. in prælect. C. ad tit. nostrum* aliosq; interpretes, quas omnes recensere, angustia pagellarum non concedit, sufficit ad præcipuas saltem digitum intendisse.

XXXII.

Cæterum hoc unum silentio non involvendum, hanc actionem esse stricti juris *Bacch. de act. disp. 6. tb. 4.* tum quia nulla ejus mentio fit in albo actionum bonæ fidei, *juxta S. 2. Inst. de action* tum quia fructus post litem demum contestatam in hanc actionem veniunt *l. 4. §. 2. ff. b. s.* hoc autem propriè convenire actionibus stricti juris, convincitur *Arg. l. 1.*

§. 23. & seq ff de pos. l. 38. §. 17. & 15. ff. de usur. alias affert rationes Zaf. ad dict. §. action. Inst. de actionibus sub n. 17. Rubricâ de iudicio fin. regund. Obstare huic nostræ sententiæ videtur §. quedam actiones 20. Inst. de actionibus, sed respondemus cum Wesenb. in parat. ff. finium regund. sub n. 7. quod si fines aut in universum, aut in aliquâ parte non satis commodè dividi possint, vel quia obscura sunt utriusq; partis iura, tam in possessione probandâ, quam in proprietate, vel ob aliam incommoditatem, potest utiq; iudex, quamvis hæc actio non sit bonæ fidei, utpote quæ non ex civili conventionem, sed ex delicto, aut facto unius, aut jure reali, velut vindicatione, cui cohæret, oriatur, tamen veteris obscuritatis amovendæ gratiâ novos fines per aliam regionem, ubi commodum fuerit, dirigere, idq; per adjudicationem, sive condemnationem ex æquo & bono. Ut cui fundo sit adjudicatio alicujus portionis terræ porrectis in alienum agrum terminis, ejus Dominus pro eo quod illi adjudicatum est certâ pecuniâ condemnatur illi, cujus agro aliquid adjudicatum est per l. 4. & 8. ff. h. t.

XXXIII.

Datur præterea hæc actio inter duos vel plures vicinales sive confines agros habentes, de quorum finibus litigatur l. 4. §. 8. ff. h. t. nec tantum inter Dominos, sed etiam inter Usufructuarios, & Creditores, nam & Usufructuarius jus quoddam reale pene dominii, habet l. 4. ff. de usufr. & ideo vindicationem tot lit. si usufr. petatur, nec non Creditoribus jus quoq; reale, continens jus quoddam dominii, competere liquet ex §. 1. Instit. Quibus alien. licet vel non, & l. 10. C. de distract. pignor. datur itidem bonæ fidei possessoribus, ac adversus eosdem, quia bona fides pro dominio est, etiam tutoribus contra tutores, quandoquidem & hi in administrando pro dominis habentur l. 5. §. penult. ff. de furtu, multo igitur magis Vasallis, Emphyteutis, & similibus Dominis utilibus, imo etiam prælatis Ecclesiæ, & Canonicis, quamvis domini non sint, sed pro usufructuariis saltem dominis habeantur Dyn. in cap. 1. de R. J. in sext. datur etiam contra quemlibet turbatorem, non autem contra Socium cum quo habeo fundum communem. Exempli gratiâ, habeo fundum communem cum Titio, & etiam alium fundum proprium vicinum, hoc casu mihi contra socium non competit hæc actio, quia is solus rem communem defendere non potest, ideo aut partem fundi communis, aut fundum proprium alienare cogor, si hoc iudicio experiri lubet, textus est expressus in l. 4. §. 7. ff. h. t. quia non tam personas intuemur, quam fundos, quorum de finibus disceptatur, unde Julianus ait iudicium finium regundo:

43

gundorum manere, quamvis locii communi dividundo egerint, vel fundum abalienarint *l. 9. ff. b. t.* sicuti enim sententia fundo magis pronuntiat, quam personis *l. 4. §. 1. ff. b. t.* ita iudicium inter fundos, de quorum finibus agitur, accipi videtur, *dist. sapius l. 4. §. 8. & 9. ff. b. t.* & proinde ut fundus cum finibus, sic & cum sua actione, & causâ connexa ambulat *l. 12. ubi Doct. ff. de pignor. Mont. cap. 28. in fin.*

XXXIV.

Quod materiam, circa quam attinet, possunt variaz de finibus esse quæstiones, quæ materiam huic actioni suppeditant, utpote propter finium occupationem, & turbationem *d. l. 4. & 8. ff. b. t.* propter fructus & damna, & alias ob causas, ad fines & terminos spectantes, venit enim in hoc iudicium præter finium determinationem, damnum, omne interesse *l. 4. §. 1. ff. b. t.* item fructus post litem tamen contestatam non ante percepti, licet non desint, qui ab hac opinione divoritium faciunt.

XXXV.

Restat ut de eorum pœna, qui vel fines turbant, vel terminos movent non nihil annectamus. Est autem ea duplex, vel criminalis vel civilis, utriusq; supra mentionem fecimus *ib. 30. in fin.* In eum namq; qui sciens dolo malo terminos & quidem publicos propulerit, aut effoderit, gravior cadit pœna, quæ tamen communiter arbitraria est, habito scilicet respectu ad conditionem personarum, ac inspecto facientis animo, cum & alias maleficia ex voluntate & proposito delinquentis distinguantur, *l. qui injur. 53. ff. de furt.* cum similibus. *vide Menoch. de arbit. judic. cons. 393.* Altera civilis pœna continetur in *l. 3. ff. de term. mot. promulgata per C. Jul. Casar.* & est pecuniaria, extenditurq; ad 50. aureos, quomodo verò terminorum corruptores & effosores extraordinariè puniendi sint, antea tradidimus ex *l. 1. C. de accusat.* adde ibi *Salyc.* De jure Saxonico terminorum violatoribus lævior pœna sive multa 30. solidorum est imposita, *per text. in art. 28. lib. 2. LandR.* qui tamen, uti autumo, de isto duntaxat casu disponit, quando quis amovit limites, ignorans eos esse terminos, ad dirimendos agros constitutos. Procul dubio enim si datâ operâ, & dolosè hoc fecerit, durius propter tantam temeritatem puniendus venit, *glos. ad d. art. n. 6.* Olim dolosi terminorum motoris caput aratro desulcabatur, ceu liquet ex centenis ordinationibus, quas allegat & recenset *Andr. Knich. in tract. de sublim. territ. jure cap. 4. n. 227.* & seq. ubi tamen meminit, & testatur pœnam prædictam in desuetudinem abijisse. *Lex Burgund. cap. 55. §. 5. ita dispon.* Terminum si ingenuus evellere aut con-

frin,

fringere præsumperit, manus incisione damnetur. Si servus hoc fecerit occidatur.

XXXVI.

Tandem opellæ meæ finem impositurus (ne juri quod in alios statuo derogasse, ac legum ex jussu amplissimæ Facultatis disputationum solennium pagellas determinantium fines transsilisse arguar) ac de ijs quæ hæctenus more academico differuimus, specimen aliquod tanquam in theatro forensi exhibiturus, subvereor ne idem mihi eveniat, quod dubijs vitæ navitis contingere solet, qui non raro carbasa ventis committentes, laxas aurâ complente sinus, & ignari profunditatis ac reliqui situs in portum properantes, ad Syrtis propellunt naves. Ita & ego qui hæctenus coram Rostris causas non peroravi, nec Amicis de jure quærentibus respondi, ignarus Cautelarum forensium ne in ipso limine alicubi impingam, ac vero quid tentasse, & leviuscula primis quasi labellis tetigisse nocebit?


XXXVII.

Sic itaq; hæc agendi formula, citatis partibus offeratur libellus, riteq; in reliquâ causâ cognitione procedatur, ita ut prius quinam veteres cujusq; agri fines & termini sint *l. 11. C. seq. ff. b. t.* vel ex monumentorum, nempe lapidum, fossarum, arborum & similibus vestigiis, vel libris & registris antiquis, vel deniq; ex testibus de auditu & famâ deponentibus, qui in rebus difficilioris probationis admittuntur juxta *l. 28 ff. de probat. cap. 8. Ext. de probat. junge Myns. obs. 25.* missis itidem agrimensoribus, vel si necesse sit, in re præsentis loco oculis subjecto *l. 8. S. 1. eod.* diligentius inquireatur, ac postmodum super possessione quantum scilicet, quisq; de præsentis possideat, & demum super proprietate fiat investigatio, was ein jeder theil des streitigen Orths eigenthümlich berechtiget sey! nec non discussis partis utriusq; juribus, Judex ultimò litem per sententiam definitivam dirimat.

XXXVIII.

Et quamquam teste Jcto celeberrimo *Udalrico Zasio ad §. quædam actiones sub n. 33.* raro apud nos Germanos accidat, ut in finium regundorum judicio libelli formentur, siquidem agrimensoribus juratis ben geschwornen Land vnd Feld Messern causa committitur, ut auditis litigantibus de facto, procedant etiam de facto, metiendo ea, quæ sunt turbata, vel confusa; fieri tamen potest, ut servata ordinis judiciarii solennitate libellus formentur (cujus formulam exhibet *Schn. ad di. §. quæd. act.*) & legitime procedatur, præsertim si controversiæ sive quæstiones finiales, inter illustriores, Comites, nobiles, dominia, monasteria, &c. incidant, & ventitentur. Finio hæc meas de finib. reg. positiones.

In autem qui es rerum omnium Principium & finis o Maxime Deus! effice ut finem vite nostra perpetuo ob oculos ponamus nec justitia limites uspiam transgrediamur.



quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo co-
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 , poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 u assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quae notissimum est illud Plau-
 pta forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut e bello rever-
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

